

IN NOMINE JESU.

EXERCITATIONUM METAPHYSICARUM  
DUODECIMA

*De*

DEPENDENTE  
ET INDEPENDENTE  
ITEMQUE  
CREATO ET INCREATO  
*Quam*  
SUB PRÆSIDIO  
DECANI SPECTABILIS  
VIRI

PRÆCLARISSIMI ATQUE EXCELLENTISSIMI

DN. M. CHRISTIANI TRENTSCHII  
Logices & Metaphysices Professoris publici  
celeberrimi,

Dn. Praeceptoris, Patroni ac Promotoris omni ob-  
servantiæ cultu æviternum devenerandi

*Publico Placido q̄s rectè Philosophantium  
Examini submittit*

GODOFREDUS ROSNERUS

Berolinensis Marchicus

AUTOR.

In auditorio majori

d. 16. Febr. Horis antemerid.

a. CXXIII. 9.

WITTEBERGÆ

Literis exscribebat Iohannes Röhnerus, Acad., Typogr.

M. DC. LIII.

ST.



oll. diss. A  
23, 9

ĀRA HONORIS.

*Quam*

V I R I S

*MAGNIFICO, SPECTABILI, PLURIMUM REVERENDIS,  
AMPLISSLIMIS, EXCELLENTISSIMIS,*

*CLARISSIMIS*

*MAGNIFICO DN. RECTORI*

**DN. JOHANNI MEISNERO**

*SS. Theol. Doctori Ejusdemq; P. Publ. Ce-  
leberrimo, Alumnorum Electoralium Ephoro  
gravissimo.*

*SPECTABILI DN. DECANO*

**DN. ABRAHAMO CALOVIO**

*SS. Theol. Doctori ejusdemq; Prof. Publ. Ce-  
leberrimo, Consistorij Ecclesiastici Assessori, Circ.  
Elector. Saxon. Superintendenti Generali  
Dignissimo, Elect. Alumnorum*

*Ephoro*

*nec non*

**DN. M. ANDRÆ SENNER TO**

*LL. Orientalium Profess. Publ.*

*Celeberrimo,*

*DOMINIS PRÆCEPTORIBUS, PATRONIS, PROMOTORIBUS:*

*HOSPITI, EVERGETIS ac FAUTORIBUS quovis submis-  
sionis ac Reverentiæ cultu suspiciendis*

*Sacram cupit.*

**G.R. Autor**



אָמַרְתִּי לְפָנֵיכֶם כִּי כְּלֹבֶד אֲנָשָׁן  
אָמַרְתִּי לְפָנֵיכֶם כִּי כְּלֹבֶד אֲנָשָׁן

## I.N.D.O.M.

**R**Abbi Hillelis communi Ebraeorum seu Judæorum sententiâ doctissimi Rabbini, (qui que ceu ex Thalmud patet Anno ante Templi secundi eversionem vixit centesimo) Apophategma est:

אם אין אני לך מי לי ופְּשָׁע אֲנָה לְעַצְמֵי מֵת אֲנָה  
ונאם לאו עכשוו אימתי;

Si non ego mihi, quis mihi? & cum ego mihi met ipsi,  
quid ego? Et si non modo, Quando?

Quibus instigat verbis, in tempore ut incumbamus iis, quæ adultioribus nobis prodesse queant, ægrè enim nec sibi molestiâ in senectute addiscimus, quæ ætate florentes negleximus. Quod, cum non incongruè ad præsens nostrum institutum, & alias Philosophicas disciplinas meo quidem judicio, accommodari possit, operæ premium duximus nos facturos, si in præsentia quidem, quantum temporis ratio & ingenii tenuis imbecillitas permittent, Dissertationem hanc Metaphysicam de Independente ac Dependente, ut & Increato & Creato Ente brevissimè dilucidemus. Tu itaque Deus optime Creator omnium rerum, à quo omnes nostræ actiones dependent, adistere labori huic nostro ne digneris, quo vergat ad nominis tui Ter Sancti gloriam, nostrumque proprium emolumentum. Amen.

## THEOREMA I.

Dependens ac Independens, ut & Creatum ac Increatum sunt affectiones Entis disjunctæ Immediatae.

§. 1. Vulgo maxima movetur controversia, circa vocabulum affectionum, utporè quod, sicut ferè omnes Termini Philosophici, nimiâ modernorum curiositate infecti ac depravati, ambiguitate laborat; Nos itaque ne in primo statim limite offendamus, aut Antabatarum more pugnetus, terminum hunc ante omnia, ab ambiguitatibus, quibus gaudet, liberabimus, quo eo facilior nobis ac felicior ad alia aperiatur progressus; Non enim considerandas ac definiendas has Affectiones latissimè putavimus, quatenus ad omnia se extendunt, quæ æquivocè saltem ita dicuntur, sed evolutis primò nominalibus distinctionibus, remotisque æquivationibus in adæquatâ & propriâ significatione repræsentandas duximus. *Quan-*  
*quam autem de r̄s c̄i ð̄i primariò solliciti esse debeamus, monente*  
*Philos. 2. post. Anal. c. g.* non tamen diu hic laborandum nobis censemus, circa probandam Affectionum Entis disjunctarum existentiam. Cum ejusmodi conceptus communissimos, quos nulla particularis disciplina sibi vendicat, Ens sub disjunctione denominare, nemo negare possit, nisi, qui l. summâ laboret ignorantia, vel summo profecto veritati contradicendi trahatur studio; Ac præterea is, qui probationem desiderat inventire eam possit *ap. Scheibl. l. i. c. 3. Tit. 2. art. 1. p. m. 46. Fonsec. Sudrez. in Metaph. l. 3. s. i. n. 1. Zabar l. de tribus præcognitis, c. 3. & alios.*  
**Quare ne tempus ἀλλοτρίοις teramus;** iisque quæ ad scopum nostrum attingendum minimè faciunt immoremur, ad alia magis necessaria transibimus.

§. 2. His ita præsuppositis dicimus dependens ac Indepen-  
dens, Creatum ac Increatū esse affectiones Entis disjunctas  
& quidem in specie immediatas. Quicquid enim datu, aut  
est Ens, aut affectio entis; Atqui dependens ac independens,  
creatum & increatū, dantur; Ergo aut sunt Ens, aut affec-  
tiones entis, non sunt Ens (proprie vocabulo entis accepto)  
non enim habent essentiam propriam & per se subsistentem,  
sed in Ente ipso subsistunt, ergo sunt affectiones entis, defini-  
untur enim quod sint conceptiones generalissime ipsum ens proximè  
consequentes, illud transcendentaliter denominantes, ac cum eodem

con-

convertibiles, ubi dicitur quod Ens transcendentaliter denomi-  
nent, quo ipso innuitur quod non sint simpliciter ipsum Ens,  
Affectiones enim per se sequuntur rationem subjecti, non ve-  
rò sunt ipsum subjectum: Hoc est de ratione omnis affectio-  
nis; at verò exinde non necessum est ut distinguantur à subje-  
cto realiter, sufficit enim si distinguantur formaliter: aliud enim  
sunt, affectiones in rigore scientifico, quæ per morem accidentium in-  
sunt ita ut à subjecto, cui insunt, realiter distinguantur, aliud verò  
sunt, affectiones latius sumptæ ac eminentes, ad quas satis est ut deno-  
minent subjectum; licet non cum reali ab eodem distinctione, dicente  
*Excell. Dn. D. Calovio p. 266.* remanet ergò tantum discrimen ra-  
tionis, non enim  $\alpha\pi\lambda\omega\zeta$  idem sunt attributa & subjectum, sed  
rationis conceptæ discrimen intercedit, quia diversis conce-  
ptibus explicantur, neque simpliciter identicè de Ente dicun-  
tut. Sumitur autem attributum I. concretivè & materiali-  
ter; & hoc sensu attributum est ipsum Ens, scil. à parte rei, vel  
abstractivè & formaliter, hoc sensu non est ipsum Ens. Inve-  
niuntur quidem nōnulli qui contendunt Ens nō includi quid-  
ditativè in affectionibus, sed ab iis distingui ex naturâ rei, utut con-  
cedant quod attributa Entis quid positivū sint. Nos tamen tēporis  
redimendi gratiā hanc controversiam non facimus nostram,  
atq; dicimus, quod affectiones Entis cum non sint Ens ipsum,  
uti dictum, sint affectiones seu attributa Entis.

§. 3. Hæc verò attributa entis iterum sunt in duplii dif-  
ferentiâ: Quædam enim dicuntur unita, quædam autem dis-  
juncta. Sunt quidem varia alias attributa Entis generalissi-  
ma, at omnia revocari possunt ad duo hæc capita, quod scil.  
nōnulla unitim cum ente reciprocantur, alia vero disjunctim.  
Alii quidem dispescunt affectiones in primarias & secundarias &  
has demum in simplices, & conjunctas, verum nobis prior divisio  
magis arridet, quare definimus affectiones unitas quod simpliciter  
de Ente prædicentur, & cum eo in sensu unito s. conjuncto citra ullā  
disjunctionem reciprocantur. Disjunctas autem illas esse dicimus  
quæ in sensu disjuncto cum ente convertuntur, idque cum oppositionis  
illatione denominant transcendentaliter, & ad has posterioris or-

hædis affectiones disjunctas referimus independens ac dependens itemque Increatuum ac creatum, non enim dicere possum omne Ens est dependens ac independens, nec omne Ens est creatum & increatum, uti dico omne Ens est unum, verum, bonum. Sed dicere cogor omne ens est vel dependens, vel independens, vel creatum vel increatum, & sic hæ affectiones cum Ente disjunctim & cum oppositione cōvertuntur, Ex quibus patet quod ad affectiones disjunctas referendæ sint.

§. 4. Cum vero hæ affectiones disjunctæ iterum sint vel *principales*, vel *minus principales*, & istæ *immediatae* iterum, ac *mediate*, ad *principales immediatas* nostra referimus, hæ namque *proximè* & *immediatè* fluunt ex ipsâ rerum essentiâ, non secus ac actus & potētia *principium* & *principiatum*, *causa* & *causatū*, *Finitum* & *Infinitum*, à se & ab alio, &c. ad easdem referuntur. *Mediatæ* autem sunt quæ conveniunt enti medianib[us] aliis affectionibus, scilicet quæ ex affectionibus primis oriuntur, & imprimis enti conveniunt medianib[us] affectionibus unitis, *Unitate*, *veritate* & *bonitate*, ut sunt *simplex* & *compositum*, *totum* ac *pars*, idem ac *diversum*, *communicabile* & *incommunicabile* &c. Quare, cùm dependens ac independens, ut & creatum ac increatum ad affectiones mediatas referri non possint, ut potè quæ medianib[us] affectionibus unitis ex ente non fluant, necessariò ad affectiones immediatas referendæ sunt, quoniam proximè & immediatè ex ente fluunt.

## THEOREMA II.

Dependens est, quod ratione Essentiæ suæ aliud agnoscit à quo tanquam à priore fluat,

§. 1. Circa hujus Theorematis dilucidationem ex consuetudine nostrâ primò de vocis ambiguitate solliciti erimus, deinde res ipsa breviter erit expedienda. Et sic usurpatur vox dependentiæ ex Sententiâ Excell. Dn. P. Galovii vel *Impropriè* vel *propriè*. *Impropriè* quidem quinque accipitur modis 1. *Pro dependentiâ potentiali*, quæ describitur per non repugnantiam Terminorum. 2. *Pro dependentiâ internâ & formalî*, quæ tantum

tum impropriè ita dicitur, hac ratione enim nullum ens Esset dependens, sed à seipso. 3. Pro quâvis ratione ordinis posterioris ius ad suum prius. Sed & hæc nimis lata est dependentia, cum hac ratione omne posterius dicatur à priori dependere. 4. Pro quâvis consecutione unius ad alterum, quæ nec ipsa ad nostrum facit institutum. 5. Pro convertentia unius ad alterum. Propriè verò accipitur pro dependentiâ, quâ quid ratione Essentia suæ dependet ab alio tanquam à priori. Et hæc potissimum est hujus loci. Aliis dispescitur in mutuam & non mutuam. Verum nec hæc divisio nobis est ad palatum, cum partim destruitur fundamento in re, partim etiam ad alias dependentis distinctiones referri possit. Ergo Entia præter necessitatem non sunt multiplicanda. Neque etiam iis calculum addimus. Quibus vocabulum sumitur in propriissimâ significacione, prout quamcunque prioritatem connotat, cum hæc consideratio hue non quadret, atque ejusto abstractio, absque vi huic termino inferendâ institui non possit. Sed in sensu genuino, quatenus dependens aliud in ordine presupponendi, à quo ratione essentia dependeat, prærequirit, Et hæc dependentia huc propriè pertinet.

§. 2. Dispescitur autem à nobis in triplicem Effectivam, Subiectivam & Objectivam. Ab aliis quidem non incongru dividitur in duplicem Intellectualem scil. & realē, ita ut realis sit secundum quam res in essendo dependeat. Intellectuā verò, juxta quam ens in cognoscendo dependentiam agnoscatur. Realem autem iterum faciunt geminam Eff. Etivam seu causalem, & inbasivam seu subiectivam. Verum licet divisio hæc suo non destruitur fundamento; Nos tamen cum hæc triplex divisio Plerisque Autoribus sit receptissima, atque cum illâ etiam coincidat, né temerè ab Excellent. Virorum sententiâ fine ullâ urgente necessitate descedere videamur, eandem retinemus. Et describimus effectivam, quod sit dependentia, juxta quam omnis effectus dependet à sua causâ. Taliter omnis creatura seu structura hujus universi dependet à Creatore omnium Deo omnipotentissimo, lumen à sole, Effectus quivis à suo artifice seu causâ cùm primis efficiente. Hæc verò à non nullis

itied in

itidem dividitur in Effectivam per Creationem, qualis est dependentia respectu Dei, per generationem, qualis Est Caini respectu Adami, Et per effectiōnē mechanicā, qualis est dependentia calcei respectu tutoris. Verum nos intelligimus tantum effectivam respectu creationis, hæc enim dependentia potissimum est considerationis Metaphysicæ, Reliquæ, licet quodammodo etiam ad Metaphysicam possint referri, non tamen primariò ad eam pertinent, sed secundariò eidem tantum annumerantur. Subjectiva dependentia describitur quod sit habitudo seu respectus accidentis ad suum subjectum sine quo planè esse nequit. Eaque dependentiâ Accidentia quævis à suis dependent substantiis; Sic ab animâ rationali dependet voluntas & intellectus hominis. Tertium dependentiæ genus vocatur objectivum. Estque dependentia quâ quid ab alio tanquam ab objecto pendet, Sic nostra cognitio dependere dicitur à rebus, sic omnes habitus omnesque scientiæ pendent ab objecto suo circa quod versantur. A quibusdam additur etiam quartum genus, quod vocatur dependentia fundamentalis, juxta quam relata dependent à suis proximiis fundamentis, & hæc est quando subditi pendent à Magistratu. Sed Hæc nimis impropria est dependentia, cum non detur ibi prioritas & posterioribus, relata enim sunt simul. Ab aliis dividitur in dependentiam absolutam s. simplicem, cui sunt subjecta accidentia relativa strictè sic dicta & respectiva. Et in talem secundum quid, sic creaturæ partim sunt dependentes, partim independentes uti ex seqq. patebit, sed nec hæc nobis arridet.

S. 3. Nos itaque uti anteâ dictum, vocabulum dependentiæ strictè accipimus, & urgemos tantum dependentiam effectivam, quæ in esse, fieri & operari dependet à primo aliquo agente, seu à causâ primâ. Sic omnis creatura cum non sit à seipsâ per influxum positivum, dependet à creatore, Sicut enim de essentiâ primi entis est, Esse ens per Essentiam, & per consequens esse à se, ita de essentiâ omnis alterius entis est, Esse Ens per participationem, & per consequens, esse dependens ab aliquo, ut loquitur Suarez disp. 20. p. m. 484. i. c. potest quidem creatura quædam ab alio ente, præter Deum, dependere verum hæc dependentia

tia uti dicūm, tantum est accidentalis & mutabilis, sola autem dependentia à Deo est essentialis & immutabilis. Et hinc omne dependens, (propriè scil. de dependente loquendo) habet essentiam numero distinctam ab alio à quo dependet.

§. 4. Ex quibus facile innotescit quod corrut eorum exceptio qui Angelos seu Spiritus finitos à dependentiā hāc immunes esse contendunt. Ipsi enim Angeli ut & aliæ creaturæ dependent à Deo, cum Spiritus omnis extra Deum sit dependens, qui Deus solus à seipso ac independens, & solus etiam Deus est creator rerum omnium, quæ sunt & existunt extra eum, Ergo & Spiritus omnes erunt ab eodem, ab hoc namque habent quod habent, Essentiam habent finitam & limitatam, quæ præexigit aliud, à quo sit & sustentetur, quin imò cōpositum sunt quippiam, minus obstante quod dicantur naturæ simplices. Simplicitas namque illa non est absoluta, sed comparata & respectiva, quod enim minus compositum est, id certo respe. Au dicitur simplex, respectu scil. alterius, quod magis compositum est, comparata autem simplicitas non excludit omnem compositionem, sed cum certâ quadam cōsistere potest. Hinc & Angeli respectu Dei Entis simplicissimi, dicuntur, & reverā sunt compositi, Si ergo sunt compositi, ab eo, à quo fuerunt compositi dependebunt. Sed à solo Deo compositi sunt, ergo ab eo solo etiam dependebunt. Sed hanc controversiam, cum pertineat partim ad forum Theologicum, partim ad forum pneumaticum, ne μετὰ Θανάτον γένος committere videamus, non facimus nostrām; sed eam Theologis decidēdam relinquimus, contenti quod primis iactū eam labris, & quatenus ad institutum nostrum facit, degustaverimus.

§. 5. Cum jam ex ante dictis constet, omne Ens creatum dependere à primo ente in essentiā, necessariō sequitur, quod illud ipsum dependeat etiam ab eodem in fieri ac operando, juxta maximā Philosophorum: quicqid ab alio penderet in essendo, penderet etiam ab eodem in operando, operatio enim sequitur indolem essentiæ. Et exinde patet, omnes actiones creaturarum secundas dirigi ac informari à primo agente, unā cum actionibus creaturarum concurrente, quod & ipsa Scriptura

Sacra testatur eum affirmat, in Deo ac per Deum nos vivere,,  
moveri, ac esse. Annihilatur itaque sententia eorum, affir-  
mantium Solum Deum efficiere generationem hominum, hominem-  
que non esse causam principem, cum manifeste constet Deum me-  
diane homine producere hominem, non enim in causis solum  
remotis acquiescendum, neque tantum in causis proximis, sed  
conjugendæ sunt causæ, & cuiq; suum tribuendum officium.  
Non solum autem dependent creaturæ in esse, fieri & operari  
à Deo, sed etiam ratione conservationis, ut obvium est & §. 4.  
seq. Theorematis demonstrabitur.

§. 6. Sumitur autem alias dependentia vel materialiter,  
quatenus ipsum Ens & Essentiam, quam denominat, & sine  
quâ esse non potest, implicat; vel Formaliter, prout formalem  
dependentis rationem & quidditatem explicat, cum quælibet  
affectio suum habeat conceptum formalem, qui hoc loco est,  
esse Essentialiter ab alio, à quo fluat, & ad hanc dependentiam  
requiritur 1. Præsuppositum aliquod, quo posterius quid ratione na-  
ture ac Essentiæ sit. Non autem h. l. requiritur prioritas existen-  
tiæ, quâ res ante rem existit, sed prioritas naturæ & Essentiæ,  
verùm de his in sequenti Theoremate. Requiritur 2. Influential  
illius prioris, ad esse fieri, & conservari posterioris, ita ut Essentia in-  
fluens & Essentia recipiens ad minimum numero distinguan-  
tur, unde dependentia distribuitur in eam, quâ quid in esse, quâ  
quid in fieri, & quâ quid in operari dependet ab alio, ut docet. Excell.  
Dn. D. Schäff. Hinc Svarez disp. 12. f. 2. p. 243. c. 2. dicit. Hoc propriè  
dependens est in suo Esse ab alio, quod habet Esse distinctum numero,  
ab illo, quod causa in se habet, & participatum seu aliquo modo fluens  
ab esse illius. Et hic dependentiæ modus invenitur in omnibus  
causis, ut in materiâ & formâ, Efficiente & aliis, de quibus vid.  
Svar. loc. cit.

### THEOREMA III.

Independens est quod ratione Essentiæ suæ aliud  
non requirit à quo tanquam à priore fit.

§. 1. Cum oppositorum ea sit natura, ut unum per aliud  
facile intelligi ac cognosci possit, Independens ens verò & de-  
pen-

pendens fint opposita inter se, non in eptè videtur agere is, qui ex dependentis definitione, Entis independentis colligit descriptionem. Cum autem Ens dependens fuerit illud, quod ratione essentiae sua aliud Ens agnoscit, à quo tanquam à priore fluat, Ens independentis vi oppositorum erit, quod ratione essentiae sua aliud non requirit, à quo tanquam à Priore sit, Et tale Ens independentis solum numen divinum est, uti patet ex libro non tantum scripturæ, sed etiam ex libro naturæ seu meditullijs Philosophiæ sanioris, licet nonnulli penitus hoc abjurant.

§. 2. Independens hoc eadem gaudet ac ens dependens distinctione, In *Independens Effectivè, Subjectivè, Objectivè*, & juxta quosdam uti dictum fundamentaliter acceptum, quæ distinctione cum uti speramus ad sufficientiam in priori Theoremate fuerit proposita ac dilucidata nolumus jam eandem canere cantilenam, & eandem hoc loco cum naufragi denuo inculcare, sed ad alia magis necessaria nos accingimus; ut autem inoffenso progredi possumus pede, juxta consuetudinem explicabimus 1. *vocabulum ναῦ ἄρσην*, & per remotionem, ne nobis imponere possit varia vocis acceptio & ambiguitas. Non igitur intelligimus ejusmodi independens, quod terminativè alias exprimitur, i. quod respectu hujus vel alterius tantum, & in particula dicitur non dependere, prout quoddam liberum à concretione materiæ simpliciorisque naturæ; Neque intelligimus tale independens, quod subjectivè non supponit aliquod prius, & ab illo dependet ut à subjecto, sed esse in se terminatum sibi appropriat, ut non sit in alio ut suo fundamento, quâ ratione etiam Angeli possunt dici independentes, sed cum addito à corpore; neque etiam locum hic habet independens ab objecto, quale est, color albedo, calor, frigus; Sed intelligimus 2. *ναῦ ἀρσηνής* *Independens απλωτός* ita dictum, quod omnem negat causam efficientem & influxum prioris essentialiter distincti, quodque planè non determinatur, vel ab objecto circa quod, vel subjecto inhaesivè, vel effectu, à quo esse suum habet, sed omni modo solutum, liberum ab alio ut priore, quin potius omnia reliqua entia, à se, ut causa dependentia agnoscit. Et ita solum Numen Altissimum ejusmodi quoddam independens simpliciter est: Cum enim

natura abhorreat à progressu in infinitum, necessario tandem  
in uno aliquo ente acquiescendum; à quo omnia alia entia,  
illud autem à nemine, & hoc solum Ens debet esse indepen-  
dens, à quo omnia, ipsum autem ab æterno & à seipso, hoc de-  
bet esse Ens primum, à nullo alio suum esse accipere, nec juxta  
se sistere à quale, nec ante se pati prius. Non enim datur in-  
termedium quoddam seu tertium inter hæc duo dependens &  
independens, quia duo illa membra totum ambitu suo exhaus-  
tiuentium latifundium, ut exinde manifestò constet, nul-  
lum, excepto Ente independenti, sua sibi ponere principia  
per modum influxus efficientis, alias è non esse, ad aliquod  
transiret esse, seque actuaret, antequam esset. Et hoc Ens in-  
dependens Solum Deum facere cogimus, nisi in singulis re-  
rum ordinibus in principio aliquo non facto, non tamen in  
uno, sed in pluribus, pro rerum ac specierum diversitate, ac-  
quiescere velimus. Quo pacto nonnulli gentium posuerunt  
rerum diversorum principia, ut unum Deum frumenti, aliud  
vini, aliud alterius alicuius boni vel mali datorem: nos autem  
melius edocxi, aliud novimus principium, quod Sapientissimus  
Ebreus Salomon demonstrat ex magnitudine Speciei & creaturæ, id  
est à magnitudine & pulchritudine creaturarum, quas produxit &  
ad hanc conservat. quo collimat D. Thomas lib. I. cont. gent. c. 13: qui ex  
universi pulchritudine omniumq; rerum quae in eo sunt mirabili con-  
nexione, & ordine unum primum ens, à quo omnia gubernantur, col-  
ligit. Hinc Justinus interrogatus, sitne Deus aut ens aliquod  
Independenti? Respondebit eleganter ac breviter: id sibi constare ex  
eorum quæ sunt concretione, constitutione, & stabilitate; sicut enim  
domus, (inquit:) sine artifice, aut pannus sine texente fieri non potest,  
ita neque universum hoc sine autore. Quod namque pacto ordó-  
erit, non existente aliquo perpetuo separato ac permanente:  
Unde & Excell. Dn. D. Jac. Martini Exerc. p. m. 74. ait: Creatura  
videtur aliquo modo participare Dei esse, nam proprietatem, qua-  
lis qualis etiam sit, convenientiam in essendo, dicitur creatura  
vestigium Dei, atque hinc ex esse creaturæ in vestigamus esse Dei;  
Rom. I. Quin & ipse Arift. alias Ethnicius lib. de mundo cap. 6. eru-  
ditissime de Ente hoc independente differit; ubi eidem

miss,

mini, si vim species, valentissimo, si vitam, immortali, si virtutem denique, præstantissimo, non tantum omnium rerum creatarum pro creationem, sustentationem & conservationem ascribit, sed ipsum etiam independens & à seipso ortum esse, ostendit. Hæc igitur dependentia Deo απλως, ρεωτως & ολιγως competit, ita ut simplicissimum Dei esse, sic independens, & quicquid in Deo est, ita insit ut nulla prioritas nullaque posterioritas, nec ullus alius ex cuiusdam essentialiter prioris influxus in eo inveniatur, hæc enim est illa simplex & summa independentia, quæ non tantum pure quid negativi est, ut terminus præ le ferre videtur; Sed quia est positiva & realis affectio, perfectionem etiam summam involvit.

§ 3. Mentionem autem facimus in definitione prioritatis, quando scil. dicimus independens esse, quod nullum se prius agnoscit, ubi tamen probè distinguenda est, hæc prioritas, multipliciter namq; accipitur i. quidem est prioritas loci, quando unum prius locatur alio. 2. Motus, quâ quid prius movetur. 3. Potestatis, quâ quid excellentiorem obtinet potestatem. Et juxta hanc Rex prior est comite. 4. Dignitatis s. honoris, quâ quid est perfectius hac ratione consul prior est civi. 5. Ordinis, quâ alteri prioritas conceditur ordinis & hæc ferè coincidit cum prioritate loci & dignitatis. 6. Datur prioritas in cognitione, quando aliquid prius cognoscitur, Hoc respectu priori loco cognoscimus in omni disciplinâ generalia; posteriori specialia; sic in Metaphysicis, præmittimus cognitionem Entis eorumque affectionum in genere; postea verò parte Speciali adjungimus cognitionem Substantiarum & Accidentium in specie. 7. Prioritas est Naturæ, secundum quam aliquid alteri causa est, ut existat, licet tempore sint simul, sic homo prior est risibilitate. 8. Aliquid prius est subsistendi consequentia, quando scil. non convertitur subsistendi consequentia, Et hoc modo animal prius est hominem: Nequeo enim reciprocè dicefe; Omnis homo est animal, & omne animal est homo, animal igitur hominem prius. Sed nos hoc loco missâ omni prioritate, tantum intelligimus illam prioritatem, quæ datur in ordine præsupponendi, quâ quid alio essentialiter ita prius est, ut

nullo modo aut esse, aut fieri, aut operari posse, nisi illud prius  
in certo ordine presupponatur: hac ratione Solus Deus prior  
est omnibus creaturis, quae ab ipso tanquam primo Ente &  
Creatore dependet. Dantur quidem plures prioritatis re-  
spectus & distinctiones, verum cum partim non sint adeo ma-  
gni momenti, partim ad recensitas has prioritatis species re-  
ferri possint, prolixè eas recensere supersedemus, ne hac ra-  
tione modum quem operi nostro adhibendum putavimus, ni-  
mìa prolixitate excedamus.

§. 4. Officium porrò hujus ipsius Entis est, ut omnia En-  
tia à se dependentia conservet in esse, conservet in fieri, conserveet  
in operari. Quoad singula membra nobis incumbet demon-  
stratio & quidem quoad primum, quod omnis res creata à  
Creatore dependeat in esse, nemo est qui inficias iherit, nisi vel  
omnino mente captus, l. contra Sacrarum literarum asserta  
insurgens, & in ipsum Deum injurijs, quare hanc etiam expli-  
care supersedemus, de adversariis, qui nobis negotium hac in  
parte facessere queunt, admodum securi, cum ex Philosophiâ  
Sobriâ edocti simus, contra negantem principia prima & univer-  
salia non esse disputandum. Quod autem secundò omne Ens à  
Deo in fieri dependeat, patet ex priori asserto, quicquid enim  
causam aliquam in Esse agnoscit, id necessariò eandem in fieri  
similiter habeat, necessum est, alias non haberet causam in  
esse, simul enim ac esse incipit, sic. Restat ergo tantum, ut de-  
monstremus dependentiam in conservari. Potest autem res quæ-  
dam variis modis conservari, scil. vel per se, vel per accidens. Per  
accidens dicitur res conservari per protectionem à contrariis,  
ea l. removendo, vel iis resistendo. Sic Deus unam creaturam  
conservat mediante aliâ. Conservatio per se iterum est vel dire-  
cta & immediata, quae consistit in conservatione & esse per pro-  
creationem concessi, vel mediata & remota, quae consistit in in-  
fluxu aliarum formarum, seu dispositionum necessarium  
ad conservationem illius, & sic dicit Aristoteles l. 12. Metaphys.  
Cœlum & solem divino motu suo conservare hæc inferiora. Et li-  
cet omnibus jam enumeratis modis conservatio à DEO depen-  
depen-

dependeat, ut qui omnia conservat per protectionem, procreationem, & influxum formarum, nobis tamen principaliter erit agendum brevibus de conservatione per directum & immediatum influxum in esse rei singularis: Et sic dicimus cum nulla creatura depēdeat in essentiæ conservatione ab aliâ, necessariò Deū conservationis hujus causam esse; deindè qualis est productio, talis quoque conservatio, atqui productio rerum omnium per immediatum concursum divinum facta est, & DEO debetur, ergo & conservatio earundem ei ascribenda, non enim potest tribui substantijs immaterialibus seu spiritibus, quia & hæ eodem modo conservantur, multò minus substantijs materialibus quia hæ per accidens etiam ab immaterialibus conservantur, quid quod etiam hac ratione daretur progressus in infinitum, Si semper una res ab aliâ in conservari dependeret & hæc iterum ab alia. Lucidissimè igitur apparet, quod & hæc conservatio, secundùm quam aliquid ab alio in operari dependet, Soli DEO Trinuno ac τρισυγίσω sit transcribenda, quod non tam ex modō dictis patet, sed & ex Sacro codice demonstrari optimè potest, qui disertis verbis testatur, quod absq; divini numinis aspiratione ac voluntate nequicquam in effectum deducere queamus. Quarè cum hæc sint manifesta ad alia transimus:

## THEOREMA IV.

Creatum est quod esse suum habet ab alio per creationem. Seu Est productio Entis, è non præexistente materia, infinita virtute facta:

§. I. Juxta non nullos Termini bi, dependens ab alio, per participationem, finitum, Creatum, potentiale, contingens, eorumque opposita æquipollenter sunt accipienda, cum quædam inter se invicem habeant communia. Verum enim verò, licet aliquo modo coincidant materialiter, differunt tamen formaliter, quia habent diversos conceptus formales, atq; ideo melius distinguuntur, quod quidem si esset opus ex singulis membris demonstrare possemus; qui verò demonstrationem desiderat inveniet eam

eam ap. Exc. Dn. D. Calovium c. 11. Metaph. divinæ; ideoq; & nos  
divisim hæc membra tractamus, & per lustrato Indepéndente, ac-  
cessum facimus ad Creatum primo loco, quo absoluto etiam  
increatum perspiciemus.

§. 2. Principio nobis videndum est *an detur creatio*, quod  
quidem nonnulli inepte & insulse inficias ire conantur, nescio  
quibus ducti rationibus: Verum, si quod res est afferere velimus,  
omnino rerum omnium creationem concedere cogimur, præ-  
terquam enim quod sacra scriptura id Gen. 1. afferat ex lana et-  
iam ratione id ipsum evincere, & ex libro naturæ infallibiliter  
concludere possumus, quicquid enim in universo hoc mundi  
theatro comprehenditur, illud aut generatum est, aut creatum  
(addunt quidem non nulli tertium scil. *τὸ incipere*, esse verum).  
Entia præter necessitatem non sunt multiplicanda, non opus est  
tertio hoc, si quidem continetur in prioribus duobus, quicquid  
enim vel generatur, vel creatur, eo ipso quo generatur & creatur,  
incipit esse. At vero in principio mundi antequam ulla res exi-  
steret, omnis illa res quæ jam esse suum in mundo habet, facta  
est, ergo aut fuit generata, aut creata. Generationem afferere  
nequaquam possumus, sicut vel ex solo cœlo dilucide appareat,  
cum enim generatio sit actio, secundum quam aliquid ens sibi  
simile producit, si non totaliter tamen partialiter, necessariò sta-  
tuendum, quod si cælum generatum est, prius aliquod simile  
cœlo extiterit, è quo generatum sit, quod tamen est contra ra-  
tionem & scripturam sacram, hac namq; ratione simul statuere-  
tur progressus in infinitum. Remanet ergo, quod mundus &  
omnia quæ continentur in eo, fuerint creata infinita virtute So-  
lius DEI & quidem ex nullâ præexistente materiâ, ut paulo post  
demonstrabimus. Solent quidem alias distinguere inter ens gene-  
ratum creatum, & concreatum, quam quidem distinctionem non  
omnino rejicimus, sed dicimus tamen quod hoc loco nec accô-  
modari materiæ, neq; etiam tolerari possit, quia hac ratione  
tolleretur respectus disjunctivus, non enim omne ens esset cre-  
atum seu increatum, sed daretur adhuc tertium scil. concre-  
atum, licet insuper ipsum hoc concreatum ad creatum sit referé-  
dum,

dum, quicquid enim concreatur, id prius creatur, & deinceps cum alio coconjunctim creatur, sed hæc potius ad physicam pertinent, ergo transeant.

§. 3. Circa definitionem creati jam nobis perpendenda sunt tria, i. quidem dicitur quod sit *productio*, si jam est *productio*, est etiam *actio*. Et circa hoc vocabulum actionis ardua lis est. *actio* enim duplex est, vel *immanens*, vel *transiens*. Jam queritur *an creatio sit actio immanens an vero transiens*; Non nulli dicunt, quod sit *actio transiens*, alii quod sit *actio immanens*. Quidam quod sit *actio mixta ab utrâque parte, & certo respectu immanens, & certo respectu transiens*. Nos vero dicimus quod nihil obstat etiamsi dicamus esse actionem transeuntem per emanationem, non vero simpliciter prædicamentalem, sed addito vocabulo singularis, *actionis enim transeuntis non est ea formalis ratio ut mediante virtute quadam accidentaliter proveniat, ab agente, Sed ut ad extra transeat, ut ait Excell. Dn. D. Calov.* Sed hæc est propriè dicta *actio transiens*, quæ mutationem extrinsecus inferat. Seu *actio transiens formaliter accepta est, quæ initium ducit ab agente externo, & recipitur in passo, uti definitur ab Exc. D. Jac. Mart.* Cum itaque omnia hujus definitionis requisita huic actioni accommodari queant, quippe hæc *actio creationis initium ducit ab agente externo Deo Opt. Max.* non enim internè concurrit ad effectum hunc producendum. Et recipitur etiam à Creaturâ tanquam à passo, nil obstat ut dicamus eam actionem esse transeuntem sed cum hoc discrimine, ut dicatur singularis, minimè autem vulgaris, q̄i a nondum recipitur in agente sed terminatur in re creatâ, & extra transit, proindè exulat hic omnis successio omnisque motus. Hæc enim *creatio est actus perfectus sine successione, & termino à quo, atque ita indivisibilis juxta illud: Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa.*

§. 4. Alterum quod hic considerandum habemus, est quando dicitur *creatio est productio Entis seurei*, Sed non unius rei tantum, verum plurimorum in omnium Entium creatorum, quæ quidem mundus complectitur, uno verbo, omnia illa, quæ in mundo continentur, tam substantiæ, quam Acciden-

C

ita

tia, omnesque species & diversæ naturæ, quæ ab initio mun-  
di creatæ fuerunt. Nam licet non amplius quicquam creetur  
*creatione strictè sic d' Età seu primâ*. Tamen concursus Dei media-  
tus in productione Entium variorum, quæ non nisi per acci-  
dens unum faciunt, nihil aliud est quam creatio continuata,  
& hæc creatio nulli creaturæ competit, quæ subsistit supposi-  
talitate propriâ, sed ei tantum Enti, quod subsistit suppo-  
sitionalitate & subsistentiâ infiniti, ut humana Christi *Genesim*  
natura. Pluribus probare mundum esse creatum supercede-  
mus, cum vel lippis ac Tonsoribus, ut in proverbio dicitur,  
notum sit. Hæc tantum ardua nobis Controversia restat, *Utrum*  
*hic ipse mundus in tempore, an vero ab æterno fuerit creatus?* Nos,  
licet plurimi contrarium ineptè afferere non erubescant. Sta-  
tuimus tamen mundum in tempore & cum tempore esse crea-  
tum, nisi enim hoc esset, concedendum omnino, quod mun-  
dus sit infinitus, quia æternus. Si autem datur, quod sit infini-  
tus, iterum infallibiliter sequitur, aut Deum non esse infini-  
tum, quod tamen afferere blasphemum ac impium: Aut lar-  
giendum profectò, si hoc negatur duo dari infinita, quod ta-  
men est contra principia Philosophica & contra rectam ra-  
tionem, nec enim natura, neque Deus, Solus infinitus, potest  
ferre aliud infinitum sibi simile, aut æquale, neque in essentiâ,  
neque in substantiâ, nec etiam in tempore. Si porrò mundus  
esset ab æterno, concedendum itidem homines esse ab æterno,  
verum, quam absolum hoc sit, quilibet videt, experimut enim  
homines quotidiè adhuc interire, & à principio mundi interi-  
isse, qui tamen alias infinita virtute prædicti, statuendi forent  
immortales. Sed circa hujus questionis decisionem non eri-  
mus nimium prolixii. *Vid. Jac. Martin. Exerc. 5 Metaph. p. m. 820.*  
copiosè hac de re differens: Nec etiam tempus seu Terminum  
à quo curiosè investigabimus, licet alii id ipsum facere sata-  
gant, unde eò etiam nimia eos deduxit curiositas, ut affirmare  
ausi fuerint, mundum tempore verno, sub regimine & dominio a-  
rietis primum existentiae primordium auspiciatum fuisse, nec deniq;  
causas impulsivas ipsius Dei percontabimur, quibus permo-  
tus, hunc mundum creaverit, ne hac ratione in imperscruta-  
bilis.

bilia Dei omnipotentis cōsilia irruere ac impetum facere velle  
videantur, aut sānē curiosæ cujusdam proterviæ incusemus,  
ideoq; ad tertium no træ definitionis maturamus membrum.

§. 5. Tertium autem illud membrum latitat in his verbis.  
*Creatio* est actio ex non præexistente materia, seu ut ab aliis dici-  
tute ex nihilo infinitâ virtute facta, ut autem eo felicius progre-  
di possimus, terminos ante omnia ab ambiguitatibus liberabi-  
mus, ne nobis imponat varia vocis acceptio. Sciendum ergo  
quod alias variis modis accipiatur vocabulum creationis, ní-  
mirum vel *impropriè*, & sic etiam dicuntur Magistratus & Ma-  
gistri creari, vel *propriè*, prout hoc loco, potissimum accipitur.  
Nos autem dividemus creationem in eam, quæ fit è μυέσως seu  
δευτέρως mediata & secundaria, & quæ fit α' μεσως & πρώτως Im-  
mediata & primaria. *Creatio* mediata est quæ quidem rem ex præ-  
existente materia sed per naturam prorsus indisposita producit, undē  
& nonnulli dicunt, vocabulum *nihil* non designare causam  
materiale, sed ordinem saltem, ita ut ex nihilo creare & qui-  
polieat phrasi post nihilum creare. Et sic in principio dicitur  
cœlum cum terrâ creatum ex rudi illâ & indisposita mole quæ  
Ebræis dicitur וּבָהִז תְּהִז, id est talis materia, ut nulla, ne qui-  
dem remota potentia ad formam in illâ statuenda sit, siquidem  
non Φυσικῶς tanquam ex seminario naturæ producta est, sed  
ὡς Φυσικῶς sine ullâ alteratione & mutatione. Altera crea-  
tio Immediata & Secundaria, nihil aliud est, quam productio Sub-  
stantiae ex nihilo, absq; ullâ præexistente materia. Et hoc nihilum  
cujus hoc loco mentio fit iterum distinguitur bifariè, vel enim  
est nihil prorsus negativum, quod omnem omnino entitatem  
excludit, vel est nihil privativum seu per indispositionem, ut lo-  
quuntur Philosophi, à quo quidem nihilo non omne Ens ex-  
cluditur, interim tamen illa materia præexistens, ex quâ ali-  
quid formatur, ita indisposita est ad rem aliquam inde for-  
mandam, ut jure nihil possit vocari, & hæc est materia illa  
quam paulò ante וּבָהִז vocavimus, Ex Gen. i. v. 2. Hanc  
etiam ob rationem Timplerus negat mundum fuisse formatum ex  
nihilo, sed asserit eum ex cœlo Elementis corporibus mixtis &c. esse  
productum immediatè, mediatè verò ex massa illa rudi, verū hæc

sententia è diametro contraria est Sacro cōdici, qui longē aliter nos informat cum utriusque mentionem injicit creationis, primæ quidem, cum dicit ברא אלְהִים קָרָא זֶה הַאֲרֵן, secundæ verò per universum caput primum *Genes.* quō ipsum animal rationale, & omnia reliqua animalia creata fuisse asserit. Ex quibus disertè patet, *Tiplerum* non tantum confundere creationem primam & secundam, sed etiam nihilum negativum ac privativum, quæ tamen omnia probè distinguere debebat. Et licet ex abundanti concederetur ipsi, mundum ex hoc nihilo seu indigestâ ac rudi materiâ fuisse creatum, tamen quæritur ex qua nam materiâ illa indigesta moles fuerit creata, non ne iterum ad nihil negativum recurrentum? Patet ergo mundum ex nihilo negativo fuisse creatum, quod ipsum etiam Poeta testatur cum dicit *Materiam noli querere, nulla fuit.* Ad creationem autem nondum sufficit productio rei cujusdam ex nihilo, alias enim & creatura nonnunquam posset creare, sed requiritur insuper vis infinita quæ est Solius Dei.

§. 6. Vocabulum Ex itidem ambiguum est, sumitur enim potissimum 6. modis, quando positivum quid est. 1. denotat causam materialē, sic culter est ex ferro, 2. Habitudinem cause formalis, sic homo est ex animâ rationali, 3. Causam efficientem, sic bellum est ex coniunctio 4. aliquid est ex aliquo, ut simplex ex composito, sic corpus & anima humana sunt ex homine, cum moritur 5. designat habitudinem cause finalis, sed hic modus non usq; adeò est usitatus 6. Nullam omnino connotat habitudinem causalitatis. Sic dico creatura est ex nihilo, & ibi omnino denotatur habitudo affirmationis ad nihilum, Et excluditur omnis habitudo causalitatis, remanente tantum habitudine ordinis, prius enim fuit non Ens, postea Ens. Et natura, quicquid, enim est, in toto esse ab alio dependet à quo ex nihilo fuit creatum, & sic utroque modo creature fuerint ex nihilo crea-  
ta dic. Arm. de Bello visu.

THEO.

## THEOREMA V.

Increatum est, quod non est productum ab alio ex nihilo, sed ad hoc ordinatum est, ut ab ipso omnia dependeant.

§. 1. Cum nullum Ens creatum in totâ mundi universitate reperiatur quod à se ipso extiterit, necessariô exinde sequitur, omne ens creatum à principio aliquo extitisse. Illud autem principium, à quo omne Ens extitit, duplex juxta eruditorum opinionem statuitur, primum nempe, & secundum Secundum faciunt vulgo naturam ac artem, per natum intelligunt omnē creaturam, quatenus ex vi naturæ sibi insitæ agit, imprimis verò causas, physicas quæ sub nomine naturæ ab Arist. comprehenduntur cū Deum & naturā nihil facere frustra asserit. Per artem similiiter intelligunt omnem creaturam intelligentem quatenus ex habitu virtutis agit. Primum autem Principium solum Deum constituimus increatum, quod primum principium cum nobis pertractandum proposuerimus, utpote & nobilissimum & perfectissimum, nobilior namq; natura Arte, nobilior DEus natura, natura namque facit materiam arti, DEus naturæ, idcirco circa verborum prolixiores anfractus sub auspicio & vexillo numinis increati rem ipsam aggrediemus.

§. 2. Atq; cum uti consuevimus vocis Explicationem & evolutionem præmittamus, ante omnia à scotis ambiguitatum eā liberabimus. Atq; exinde dicimus, vocem increati non accipi Αρχην καὶ σ. negativer, prout omnia etiam non Entia includit, seu prout non Entibus tribuitur, quæ ideo dicuntur increata, quia nec sunt generata, nec creata, nec facta, nec unquam etiam realiem in rerum natura habuerunt existentiam, qualia sunt Chimæra, Cerberus, mons autem & alia, quæ dicuntur increata, quia nullam unquam habuerunt veram ac realem existentiam, sed ad modum tantum veri Entis fuerunt ficta, Sed δε τινῶς σ. positi-  
vè, pro illo quod vere est à se ipso, per se ipsum, & propter se ipsum, nec ullam aliam causam agnoscit, à qua tanquam à priore, in esse, fieri ac operari dependeat & ideo esse suum ab altero non habet.

C 3

§. 3. Hoc

§. 3. Hoc igitur Ens increatum, facimus solum Deum omnipotentem  $\alphaὐτός οὐκ ἔχει$  qui à se ipso est, non quidem positivè, sed negativè, quia omnem Essentiae prioritatem præter se met ipsum excludit, undè etiam dicitur  $\alphaὐτὸν$  ob independentem essentiam & subsistentiam. Quod probamus hoc Syllogismo. *Quicquid est, aut est creatum aut increatum; Atq; Deus est, Ergo aut creatus, aut increatus, non creatus;* quia aliás non esset infinitus, immortalis aut independens, omnis enim Creatura dicit respectum dependentiæ ac finitatis ab alio aliquo Ente Essentialiter se priore, ut ex antecedentibus constat, *Ergo increatus,* solus enim est à se ipso, solus nullum habet Ens se prius, nec ratione Essentiæ, nec ratione existentiæ, solus ille, est omnium Entium absolutè summum, simplicissimum & perfectissimum, solus principium primum est omnium extra se Entium nullumq; extra eum ens est, nisi per ejus efficientiam neq; ullum ipsi coæternum, alias enim concedendum, ens illud Deo coæternum, aut esse à se ipso, quod absurdum, novimus enim ex antè demonstratis, quod nulla creatura possit esse à se ipsâ, neq; hac ratione solus Deus esset  $\alphaὐταρχός$ , aut si hoc negaretur, dandum tamen quod illa creatura, quæ Deo esset coæterna, ab ipso Deo ab æterno fuerit creata, dabitur ergo contradic̄tio in adjecto, dabitur creatura infinita, æterna & quæ nunquam esse cœpit, quod tamen absurdum, absolum, & naturæ creaturarum contrarium est. Conceditur quidem creaturas omnes à Deo fuisse creatas, prout etiam S. Scriptura testatur *Job. 12. cum dicit; Interroga fumenta & docebunt te, & volatilia cœli & indicabunt tibi, loquere terræ & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris, quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fecerit,* ex his tamen non sequitur quod ab æterno hæc fuerint creata uti etiā in præcedenti Theoremate demonstratum. Solus ergo Deus est increatus.

§. 4. Cum verò in S. Sancto Trinitatis mysterio tres dentur personæ increatae, infinitæ, licet sub unâ infinitâ essentia, ortus est à quibusdam error non vulgaris, qui affirmarunt *Tres illas divinitatis personas Patrem, Filium, & S. Sanctum in opere creationis fuisse causas socias, ac non solitariè ad unum effectum prodicendum*

dum concurrisse. Præterquam enim quod ex hoc errore sub-  
orientur tres Creatores, tres Dii, & tria creationis principia,  
quod enim causæ tot principia, cum quælibet causa sit verum  
principium: Etiam mutila ac imperfecta enascitur ipsa crea-  
tio, ut potè quæ triplex hac ratione statuenda foret, cum agentes  
triplici ratione ad effectum producendū concurrisserent; Cum ta-  
men non nisi una tantum sit creatio, cuius & principium uni-  
cum ac simplicissimum. Prætereà injuria inferretur hac ratione  
ipsi DEo, O. M. Creatori, cum enim Causæ sociæ, sint tantum  
partiales & in adequatæ causæ, undè & μεριμ्गί αντία, nuncupan-  
tur, partialiter etiam concurrunt ad effectum producendum, ea  
enim Conditio est causalum Sociarum seu partialium, ut in cau-  
salitate distinguantur, ita ut aliud una, aliud agat causa altera,  
neutra tamē per se sit sufficiens ad effectum unum producendū,  
sed omnium requiratur concursus & cooperatio mutua, Exinde  
etiam fit, ut licet in effectu producendo, causæ sociæ dicantur  
stare pro unâ, Effectus tamen de ijs, non ut de unâ causâ, solita-  
riâ, sed ut de multis causis prædicetur partialibus. Hoc verò de  
Tribus SS. Trinitatis personis prædicare planè ἀθεον, ut quæ non  
partialiter concurrunt, sed solitariè, cum enim simplicissima sit  
earum essentia, simplicissimas quoq; edunt actiones, ac opera-  
tiones, atq; ideo non aliud agit Parer, aliud filius, S. Sanctus, ne-  
que agunt partialiter, sed unum idemq; agunt omnes, agunt οὐλη-  
κῶς, undè etiā simplicissima exoritur creato. Hinc secus statuen-  
tes non tatum Deum omnipotentiâ suâ privare allaborat, verū  
eum etiam imperfectionis arguunt seq; blasphemiae ac Impieta-  
tis reos proclaimant. Nos itaq; ne hujusmodi errorum participes  
nos reddamus dicemus quod Deus Pater solitariè creet per fili-  
um, in Sp. Sancto quodq; unanumero essentia, tribus tantum perso-  
nis communis in creatione concurrat, opera namq; Trinitatis ad  
extra sunt indivisa, idq; Emphaticè indigitatur cap. i. Genes. ubi  
dicitur בְּרָא שֵׁית בְּרָא אלֹהִים quæ verba si ad literalem  
iensum respicias ac juxta literam exprimas, reddi debent.; In  
principio creavit dij. Unde Julius Conradus Otto & alij Rab-  
bini per cabalam colligunt creationis actum & principium esse  
unum ut ex vocabulo singularis numeri בְּרָא patet, quia verò  
hoc

hoc vocabulum continet trium nominum S.S. Trinitatis literas initiales scil Patris qui vocatur אָבִי, Filij qui vocatur בָּנִי, & Spiritus Sancti qui vocatur רֹוחַ eo notari quod sicut haec tres personae latitant in uno vocabulo literis tantum distinctis, ita & actum creationis notari unicum personis tantum distinctum, atque ita unus Deus in Essentiâ ad hunc actum creationis, concursum præbuit solitarium, unumque numero actum produxit, licet tribus distinctus sit personis quod indigitatur per vocabulum אֱלֹהִים quod nomen est, Personas, non vero Essentias divinas in dicens. Manet ergo quod unus creationis sit actus, Unus cursus ad actum unus etiam Deus & causa solitaria in essentiâ, tres tamen personae sub illâ infinitâ essentiâ comprehensa. Prolixiori ratiocinatione ac demonstratione rem antea perspicuam prosequi non opus esse arbitror, quare ulteriorē desiderantem rationem allegabo ad Exc. Dn. D. Meisnerum p. i. Phil. sob. sect. i, c. 3. quest. 2. p. m. 155.

§. 5. Hoc denique Ens increatum plenum habet Dominiū in Ens creatū, cujuscunq; sit conditionis: Hinc & Ens Creatum aptum est obedere enti Increato: non tantum in agendo, verum etiam in patiendo, quamvis actiones & passiones illæ non-nunquam naturalem virtutem & capacitem illius excedant, uti fit cum Deus vult virginem parere, solem stare, Ferrum natare, Asynam loqui, & alia. Cum vero aliiquid planè est impossibile & contradictionem implicat, tum DEI Dominium capere nequit. Et tum locum habet illud apud Eruditos quod dici solet Deus non præcipit Impossibilia. Et haec sunt, quæ de Ente Dependente ac independente, Creato ac increato, differere nobis animus fuit, reliqua que addi possent accuratiori disquisitioni ac dilucidationi Thesum reservaturis, Faxit

Deus ut vergat ad nominis sui  
gloriam.

**Cui Deo, Enti Increato, Studiorum nostrorum unico promotori, sit laus honor  
& gloria in sempiterna secula  
TANTUM.**

*Coll. diss. A. 123, nr. 9*